



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

Cap. XII. De lectione spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

modo, vti iam diximus, ad vsum adhibeatur.

5. Ad meditationem, quia pulcherrimam meditationi materiam subministrat, vti paulo post docebimus.

Ex omnibus autem his orandi modis, alij alijs sunt accommodatiores, imò vni eidemque personæ alio atque alio tempore, iuxta corporis & animi eius dispositionem, modo hic, modo alius orandi modus magis placebit. Nam corpori languido aut fatigato, cum haudquaquam conueniant longæ meditationes, utilior erit vocalis oratio. Et ei qui in itinere constitutus est, nihil conuenientius oratione mixta, vti supra dictum est.

DE LECTIONE SPI-
rituali.

CAP. XII.

QVANDO QUIDEM clarum atque perspicuum est sacrorum librorum Lectionem utilissimam, atque orationis indiuiduam comitem esse: nam inde quotidiana experientia

tia

tia cernimus eos, qui orationis exercitium diligunt, lectionis quoque spiritualis præcipuos amatores esse: idcirco ea tantum hoc loco annotabimus, quæ ad lectionem utiliter instituendam, momenti aliquid adferent.

Primum documentum versabitur circa libros, qui legendi sunt. Itaque legenda erit S. Scriptura, maximè vero libri quatuor euangeliorum, Epistolæ Paulinæ, & Canonice omnes. Ex veteri autem testamento, liber Iob. Prouerbia, Ecclesiastes, & Sapientia Salomonis. Ecclesiasticus. Post sacram scripturam legendi quoque erunt alij spirituales libri, quorum optimos quosque in sequenti catalogo breuiter annotauimus.

2. Leget quisque libros palato suo maximè seruiantes, atque ex quibus maiorem se utilitatem referre intelligit: ac proinde plures degustare, & ex illis deinde aliquos sibi accommodatiores deligere potest.

3. Ne autem in librorum electione fallatur, consilium Patris sui spiritua-

ritua-

ritualis super hac re inquirat.

4. Cauebit ne in legendo instabilis sit, & modò hunc, modò alium librum legendum assumat, sed vnum aliquem à principio ad finem vsque continuet. Quamquã inficias ire non possim, aliquando ad tædium euitandum, vel tentationis alicuius occasione, vel quia tum ad talem lectionem animus hominis magis dispositus est, librum mutari oportere: sed tum post illam lectionem ad priorem librum continuandum, statim redeundum erit.

5. Expediens quoque est lectionem meditationi conformare: id est, lectionem aliquam de eadem materia, de qua meditatio instituenda est, legere.

Secundum documentum erit, de legendi methodo. Primò igitur, oportet ad lectionem accedere cum intentione recta, nec legere propter solam curiositatem, aut merum sciendi desiderium, vel vt linguam tantummodo expoliamus, sed vt animum ad deuotionem excitemus,
atque

atque in spiritu proficiamus.

2. Non nimis festinanter, sed lentè ac deuotè legendum est, ac verba quæ leguntur masticanda & ruminanda.

3. Si in elegantem & vtilem aliquam sententiam incidamus, paulisper ibi subsistendum erit, & ea cum animo aliquantulum expendenda, adiecta etiam breui aliqua prece.

4. Elegantiore sententiæ memoriæ mandandæ, aut breuiter in libello separato annotandæ sunt, vt cum opus fuerit depromi, & ad vsum adhiberi valeant.

Tertium documentũ docebit quãdo lectioni insistendum sit.

Legendum igitur erit 1. quando animus hominis magnum ad læctionem appetitum, siue inclinationem sentit.

2. Quando mens arida & deuotionis expers est.

3. In festiuitatibus lectioni diutius est incumbendum.

4. Ante & post sacram communionem vel Missæ celebrationem.

5. Non